



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

IX. Satisfaciendo fundamentis hæreticorum nonnulla dubia de consiliis
euangelicis explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

entropelia, & similibus virtutibus fortasse contin-
git. De quare videri possunt, quæ in lib. 2. de legibus,
cap. 7. num. 1. diximus.

Denique non solum in operanda virtute, sed et-
iam in cauendo mala, possunt consilia versari; non
quidem quantum ad non faciendum malum, hoc
enim semper est in præcepto; sed quantum ad me-
dia, quæ adhibentur ad cauendum malum. Ut cum
quis ieiunare propter comprimendam libidinem,
vel abstinet à iuramento, etiam licito, vt longior fiat
periculo peccandi, vel itreuerenter iurandi, quo-
modo aliquid censent consilium contineri in illis
verbis Matth. Non iurare omnino. vt in propria ma-
teria tractauimus. His ergo modis in omni materia vir-
tutis possunt particularia consilia multiplicari. Quæ
ideo diximus non absolute, & simpliciter, sed respec-
tue, & secundum quid de comparatione priorum
consiliorum ceteri posse consilia; quia illa priora
per se, & absolute consulantur, & non præcipiun-
tur: cetera verò ordinariè versantur in materiis
præceptorum, vel grauium, vel saltem leuium; &
solum ratione circumstantiarum sub consilium cas-
dunt. Et ideo etiam tunc non simpliciter consu-
lantur, sed per comparationem & respectum ad a-
ctus, vel omissiones actuum minus bonas. Vt v.g.
consulitur actus studii respectu otiositatis; vel si ali-
quid melius tunc operandum non sit, non tamen
simpliciter, nisi in casu, in quo obedientia, vel alia
virtus excellenior; v.g. charitas, illud exigat. Et sic
oratio consulitur per comparationem ad actionem
generatim loquendo: in particulari tamen non
semper consulitur, nisi sub conditione, nisi aliud o-
pus non magis expediat, quod per orationem impe-
diretur. Et in eodem ferè sensu concedi potest om-
nem actum bonum cadere posse sub consilio,
respectu carentiæ ipsius, non tamè simpliciter, sed ex
suppositione, quod aliud melius, vel saltem æquale
faciendum non sit. Ex his ergo satis ostensum est, &
consilia distinguà præceptis, & quomodo distin-
guantur; & in omni materia virtutis inueniantur.
Oriebatur autem hoc loco specialis difficultas de
virtute charitatis; an in eius materia sit etiam consi-
lii locus: eam verò soluendo, argumenta in præce-
denti capite posita commodius expediemus.

Ad obiectionem autem in principio propositam
responsio patet ex dictis; iam enim explicatum est,
qua ratione sint tantum tria consilia generalia, &
præterea sint multa alia particularia, quorum distin-
ctio aliis verbis, & in specie contraria explicari po-
test. Nam quædam dici possunt consilia generalia,
& communia, quia ab omnibus fidelibus, & in quo-
cunque statu obseruari possunt: vt sunt ea, quæ in
priori modo loquendi particularia vocauimus, vt
ieiunare, orare, &c. tempore non debito: absti-
nere à vino, & carnibus; quod est exemplum Au-
gustini serm. 61. de tempore. Alia verò, quæ vniuer-
salia in causando vocauimus, dici possunt specialia,
quia sunt propria religiosi status. Aliter etiam expli-
catur illa diuisio trium consiliorum, distinguendo
consilia, quæ dantur in materia quidem præcepto-
rum; quatenus ratione temporis, modi, aut ali-
quod circumstantiarum, sunt extra obligationem
præcepti; & hæc non sunt tria tantum, sed innume-
ra. At verò sunt quædam materia, quæ omnino
sunt extra præceptum, vt virginitas, seu abstinen-
tia ab omni libidine, paupertas, & voluntatis pro-
prie renuntiatio; & hæc dicuntur consilia simpli-
citer, seu quasi per antonomasiam, & hæc tria tan-
tum numerantur. Ad confirmationem etiam in
principio positam concedendum est, omne opus
bonum non præceptum posse esse opus consilii, non
quidem simpliciter in vniuersum loquendo, sed

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

comparatione facta ad puram omissionem eius, vt
explicatum est.

Ex quibus tandem notandæ hæc sunt, & in sum-
mam redigendæ nonnullæ diuisiones consiliorum,
quibus sæpe in sequentibus vtendum erit. Prima, &
præcipua est iam facta; quia quædam sunt consilia
principalia, quæ per antonomasiam dicuntur Eu-
angelica, quia primùm fuerunt à Christo tradita:
dicuntur etiam essentialia ad religiosum statum,
seu substantialia religionis, vt sunt illa tria, castita-
tis, paupertatis, & obedientiæ, quibus impedimenta
perfectionis simpliciter auferuntur; & homo Dei
obsequio simpliciter, & omnino dicatur: reliqua
verò sunt quasi accidentalia; quamuis multa sint
ad plenitudinem perfectionis necessaria. Alia diui-
sio esse potest; quia sicut præcepta, ita etiam consi-
lia affirmatiua, & negatiua esse possunt. Nam inter
illa tria principalia, consilium virginitatis negati-
uum est ex parte materiæ, quia per se non consulit
actum, sed potius abstinere ab actu. Idemque est
de paupertate: nam licet ad eam sæpe requiratur ac-
tus alienandi res, iuxta illud, *Vende omnia, quæ ha-
bes, & da pauperibus*; nihilominus propria materia ta-
lis consilii est ipsa carentia bonorum; actus verò
requiritur, vt causa eius, quando diuitiæ potius
possidebantur. At obedientiæ consilium affirmati-
uum est, vt constat. Idemque in aliis consiliorum
materiis facile desiderari potest. In qua diuisione
obseruare oportet negatiua consilia non remouere
malum morale: nam hoc necessitatis est, non con-
silio; sed remouere occasionem mali, vel etiam mi-
noris boni; vel quæ delectabilia sunt corpori; &
maxime, quæ implicant negotiis secularibus: vt dixit
D. Thom. d. q. 186. art. 2. ad 3. At verò consilia af-
firmatiua semper sunt de actibus bonis, & sub ali-
qua ratione melioris boni, vel simpliciter, vel respec-
tu talis personæ, vel in tali occasione; de quibus
plura attingemus in libro sequenti cap. 1.

CAPVT IX.

Satisfaciendo fundamentis hereticorum nonnulla
dubia de consilijs Euangelicis ex-
plicantur.

Superest, vt ad motiua hereticorum respondeam.
In primo adducitur testimonium Pauli
ad Philip. 4. vbi Paulus monet generaliter fideles,
vt omnia sancte, pure, vere, ac sinceriter faciant.
Respondere autem possumus in primis per illa ver-
ba magis præcipi modum operandi, quam operum
multitudinem, aut varietatem; cum enim dicit,
Quæcumque sunt vera, non præcipit omnibus, vt omnia
veræ virtutis opera faciant; id enim impossibile ferè
est. Præcipit ergo, vt omnia, quæ faciunt, vere fa-
ciant, id est sincere, & sine hypocrisis. *Quæcumque boni
nomina*, id est, quæcumque facitis talia sunt, vt bonum
nomen conciliare possint: nec enim omnia, quæ
bonæ sunt famæ, facere vnulquisque potest; & sic
de reliquis. Et hoc significauit Bellarminus supra,
cum dixit, illa verba negatiuè esse intelligenda.
Non quia non moneat Paulus, vt hæc faciamus;
cum concludat, *hoc agite*, sed quia præcipit fieri ta-
li modo, vt sine fictione, seu impuritate, & fuce fiat.
Et hoc etiam significauit ibi Caietanus. Additque
etiam significat à Paulo, nihil ex his bonis Christia-
nis prohiberi, etiam si necesse non sit omnia ab om-
nibus fieri.

Facilius verò dicitur Paulum ibi non exhortari
tantum ad opera præceptorum, sed generaliter ad
omnia bona, & honesta, siue præcepti opera, siue
consilij; ipse enim Paulus non solum faciebat opera
bona præceptorum, sed etiam optima consiliorum:
& vtra-

7.
Consilia
multipliciter
diuisi-
untur.
Primo in
consilia Eu-
angelica &
essentialia
ad statum
religiosum,
& in quasi
accidentia-
lia.
Secundò
diuisi-
untur consilia
in negati-
ua, & af-
firmatiua.

Consilia
negatiua
non remou-
unt sem-
per malum
morale, sed
occasionem
mali.

1.
Prima hæc
est coram
obiecto
sollicitas
primò.

2.
Secundò
facilior u-
lterior
sio.

& utraque etiam docebat; & tamen generaliter concludit, *Quae didicistis, a capite, & vidistis in me, haec facite.* Nec in omnibus illis exhortatoris verbis est aliquid illa restringens ad praecipia, vel consilia: sunt ergo verba generalia, & indifferentia ad singula operum genera; ideo iuxta illorum capacitatem, & materiam sunt applicanda.

3. Idem dicendum est de loco ad Ephes. 6. & similibus. Verbum autem Christi, *Estote perfecti*, de perfectione iustitiae necessaria, & essentiali sufficienter intelligitur, & omnia, quae ibi Christus docet, ita possunt exponi, ut praecipium contineant, saltem in animi preparatione, ut est vulgare. Quamquam etiam prior responsio possit ad totum illum Christi sermonem applicari, nimirum, ut absolute perfectionem Christianam doceat, tradendo praecipia, & insinuando consilia, & praecipue quae tunc in principio Evangelicae praedicationis erant necessaria. Et ita cum ait, *Estote perfecti*, omnem perfectionem includit: verbum autem, *estote*, non limitatur ad rigorem praecipendi, vel lenitatem consulendi; sed indifferentiter, ut verbum exhortationis accipiatur, quoad singula cum partitione accommodata applicandum sit. Quem sensum D. Thomas ibi satis indicat, & omnes ferè expositores fatentur in his, quae ibi Christus attigit, & legi antiquae addidit, quaedam praecipia, alia consilia contineri: ergo perfectio, ad quam hortatur, ita est accipienda, ut & necessaria, & abundantiorum complectatur, quamvis non utramque praecipiat.

4. Denique de Christi praecipio Ioan. 13. & 15. idem dicendum est. Nam cum praecipit, ut diligamus nos inuicem, sicut ipse dilexit nos, particula, *sicut*, non dicit aequalitatem, sed imitationem, quemadmodum in loco Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vest. & perfectus est*, idem manifestum est. Si ergo imitemur Christum diligendo nos inuicem in his, quae necessaria sunt (ut vitam corporalem pro aeterna vita exponendo) tunc sufficienter illud explemus praecipium, ut 1. Ioan. 3. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Si vero imitemur ipsum plus diligendo proximum, quam in rigore praecipii teneamur, ut periculum mortis aggrediendo propter eius spiritualem utilitatem, vel ex nobis necessariis, illi etiam non extreme indigenti subueniendo, tunc consilii opus faciendo, Christum imitabimur. Christus ergo absolute hortans nos ad imitandum ipsum in dilectione proximi, utramque perfectionem imitandam proponit, non tamen utramque praecipit: vel si verbum illud, Ioan. 13. *Mandatum novum do vobis*, &c. strictè accipiatur, in hoc maxime se imitandum nobis proponit, ut sicut ipse pro nobis mortuus est ex praecipio Patris, ita & nos pro fratribus animas ponamus, cum fuerit necessarium.

5. Secundum fundamentum haereticorum ex praecipio charitatis Dei sumebatur, quod argumentum est frequens apud ipsos: nam ex forma illius praecipii male intellecta plures errores deducunt, nimirum, Deum praecipere nobis impossibilia; & in omnibus actionibus hominem, etiam iustum peccare, quia illud transgreditur, & similia. Sed quia explicatio illius praecipii, & verborum, quibus in Scriptura traditur, ad materiam de Gratia, Charitate, & Poenitentia pertinet, ideo hic breuiter dicimus, illud praecipium affirmatiuum esse, & particulare formaliter, ut sic dicam, id est, de particulari materia, & actu; virtute autem esse vniuersale, & negatiuum etiam praecipium inuoluere. Quatenus ergo particulare praecipium affirmatiuum est, solum obligat ad eliciendum actum proprium dilectionis

Dei, qui est actus internus a voluntate elicitus, & ad modum essentialium talis amoris Dei, qui communiter dicitur, *super omnia*, & in forma praecipii explicatur per illa verba: *Ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus.* Nam, cum dicitur, *ex toto corde*; nihil aliud praecipitur, nisi ut Deum, tanquam vltimum finem nostrum diligamus. Ibi enim, *cor* voluntatem significat. Vnde *ex toto corde*, idem est, quod *ex tota voluntate*; voluntas autem tota quasi adaequate censetur tendere in vltimum finem, quia illum praefert omnibus, & omnia vult aliquo modo propter ipsum, & in ipso, & consequenter illum super cetera diligit. Sic ergo illo praecipio non obligamur diligere Deum summo conatu, vel intentione, sed summa appretiatione, ut aiunt. Item non praecipimur, ut semper in hoc actu dilectionis versemur, quia praecipium illud affirmatiuum est, & non obligat pro semper. Nec etiam praecipitur nobis, ut nunquam alium actum amoris eliciamus; vel quod perinde est, ut quoties actum amoris eliciamus, Deum per actum illum formaliter, & proprie amemus; quia illud, *ex toto corde*, non excludit intentionem voluntatis ad alias res honeste amabiles, cum illae non repugnent amoris Dei. Ideoque Paulus in citato loco ad Philippenses solum monet, ut cogitemus *quatenusque amabilia*, utique, ut ea diligamus. Et Christus ipse praecipit ut diligamus nos inuicem; solum ergo prohibemur ex vi illius particulae, ut totum cor in alio, praeter Deum non figamus, utriusque aliquid aliud, ut vltimum finem diligendo. Denique per illud praecipium formaliter non praecipimur alii actus bonialiarum virtutum, sed tantum virtute, & remote; & sic etiam non pro semper, sed quando ad diuinum honorem, & amore conferuandum necessarii fuerint: & consequenter virtute etiam prohibetur quicquid hunc amorem excludit, quale est omne peccatum mortale.

6. Hinc ergo manifestum est per hoc praecipium non excludi consilia, quia ex eo non sequitur, omnia bona opera in particulari, & prout in diuersis temporibus, & in magna varietate fieri possunt, esse per hoc praecipium mandata. Nec formaliter per illud praecipia sunt, ut declaratum est, & ex forma verborum patet; quia solum de actu diligendi praecipium loquitur: nec etiam virtute; quia non omnia alia opera bona sunt necessaria ad talem Dei amore retinendum; quia haec virtualis inclusio supponit necessitatem in aliis operibus bonis, non facit illam. Ideo enim illa virtualiter includere dicitur, quia necessaria sunt; ergo ut sint necessaria, oportet, ut supponantur alio modo, seu in proprio genere, vel ratione suae proprietate honestatis esse praecipia. Ergo opera bona, quae ex se, vel aliis positivis legibus praecipia non sunt, ex vi solius praecipii dilectionis Dei non praecipiantur; & consequenter possunt esse sub consilio, non obstante illo praecipio dilectionis Dei. Adde praeterea, quod ea ipsa, quae in illo praecipio virtute continentur, non ut facienda pro quolibet tempore, sed pro quo necessaria, vel determinata fuerint, continentur, ut v. g. in praecipio diligendi Deum, virtute includitur praecipium colendi ipsum, vel adorandi; aut etiam praecipium diligendi proximum, eiusque miserendi; & nihilominus ex vi dilectionis Dei, non obligamur pro semper colere Deum, vel diligere proximum, aut elemosynam facere; sicut etiam propria, & specialia praecipia talium actuum non pro semper ad illos exercendos obligant, quia omnia sunt affirmatiua, & eadem est ratio de omnibus. Ergo etiam ex hac parte praecipium dilectionis Dei non excludit, quin multi boni actus sint sub consilio, saltem pro eo tempore, pro quo alia praecipia non obligant.

Nec

7. Explicatur per omnes has particulas non res noua significatur; nec aliquid speciale per singulas præcipitur; imò nec aliquid additur, quod per particulam, ex toto corde, præceptum non fuerit: Vt rectè adnotarunt Catd. Bellar. tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 3. & Barrad. tom. 3. lib. 8. cap. 20. & Mald. Marth. 22. & ideo illa sola in aliis Scripturæ locis ponitur: vt Psal. 118. ait Dauid, in toto corde meo exquisitus te; & ideo de illo dicitur Eccl. 47. De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum. Et idem legitur 3. Reg. 14. & ibi additur: Custodiuit mandata mea, faciens, quod placitum esset in conspectu meo. In quo significatur, dilectionem ex toto corde, etiam si nihil addatur, esse dilectionem perfectam, quæ aliorum præceptorum obseruationem, & voluntatem placendi Deo virtute includit, ac proinde sufficere ad implendum summum dilectionis Dei præceptum. Sicut etiam conuersio ad Deum ex toto corde ad veram conuersionem sufficit, vt constat Jerem 24. Igitur per alias particulas non res noua, vel distinctus modus significatur, sed perfectio illius amoris exaggeratur, & distinctus explicatur.

8. Explicatur particula illa, ex toto corde tua.

Quod ergo dicitur, ex toto mente tua, omittitur Deuter. 6. 10. & 11. quod est signum per illam particulam nihil peculiare præcipi, sed explicari, quod in priori particula implicite continebatur. Nam si mens accipitur pro superiori animæ portione, sub illa cor, id est, voluntas includitur: si autem pro intellectu, vt à voluntate distinguitur, sic cum voluntas intellectum sequatur, non potest quis toto corde diligere, nisi intellectus cooperetur. Vnde per illam particulam explicatur Deum verè esse diligendum, & sine fictione, & magna cum mentis applicatione ad Dei bonitatem, beneficentiam, & alias rationes diligendi ipsum considerando, vt ita pleno iudicio animus in eum feratur. Vnde 4. Reg. 20. Ezechias sic ad Deum orabat: Memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. Et 1. Ioan. 3. Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.

9. Explicatur particula illa, ex tota anima tua.

Item, quod additur, ex tota anima tua, etiam omittitur in aliis locis citatis, & 1. Reg. 7. & re vera nihil addere potest superioribus particulis: nam anima non se mouet, nec fertur in Deum, nisi per intellectum, & voluntatem; ergo quod tota mente, & corde amatur, tota etiam anima amatur. Vel ad summum indicari potuit, animam etiam, vt est forma corporis, debere totam in Deum ferri, vtique etiam per appetitum, quatenus illi possibile est, iuxta illud Psal. 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum vivum; vel certè, quia ita debet homo diligere Deum, vt etiam animam, id est, vitam pro illo ponat: nam anima sæpe pro vita vsurpatur, sic enim de amore proximorum propter Deum dicitur 1. Ioan. 3. Debemus pro fratribus animas ponere. Particula denique, ex omnibus viribus, in quibusdam locis omittitur: vt Deuter. 4. & 10. & Matth. 22. in aliis verò aliter proponitur. Nam Deuter. 6. dicitur, Et ex tota fortitudine tua. Matc. verò 12. dicitur, ex tota virtute tua, solusque Lucas posuit, ex omnibus viribus; idem tamen significare voluit: nam per vires significare solemus virtutem operandi, & effectus, qui est præcipuus, & maximus, dicitur tota virtute fieri. Per illam ergo particulam, nihil aliud significatur, nisi Deum esse diligendum præcipuo, & magno amore. Quod si quis per omnes vires exponere velit, vel intelligere omnia membra corporis, quatenus omnia per amorem Dei, eius obsequio accommodandi sunt, non repugno: vt Tolet. Luc. 10. innuit. Denique Deut. 4. additur alia particula, & tota tribulatione anima sue, Fr. Suarez de statu rel. g. tom. 3.

quæ vel ad amorem non pertinet, sed ad contritionem, vel per illam declaratur firmitas, seu magnitudo diuini amoris, quoad estimationem, seu appreciationem; quia nulla aduersitas, vel tribulatio illum debet impedire.

Igitur ex forma illa præcepti, nulla probabili, vel apparentiatione potest inferri, quòd ita obliget ad omnia virtutis opera, vt nullum sub consilio relinquat. Quia ex nulla particula illarum, nec ex omnibus simul, nec ex illa exaggeratione, ex toto corde, vel tota virtute, inferri potest hominem teneri ad faciendum semper, vel summò conatu, vel ipsum Dei amorem, vel aliud opus, quod in quocunque momento possit melius iudicari, aut ad maiorem Dei gloriam pertinere. Quia nec vllus ex Patribus ita illud præceptum intellexit, vt videre licet in Hieronymo, Chrylostomo, Hilario, Ambrosio, & aliis in citatis locis Marthæ, & Luca: Nec modus ille loquendi habet illam vim, aut significationem, vel in Scriptura, vel in communi loquendi modo, sed ad exaggerandum magnitudinem operis, conatus, aut desiderii, vel diligentie solemus dicere, toto corde hoc desiderare, vel totis viribus hoc procurasse. Sicut Genes. 3. dixit Iacob, Scitis, quòd totis viribus seruiuerim Patri vestro. Et 2. Reg. 15. de populo Israel dicitur, Tota corde sequitur Absalon. In præsentem ergo per illam phrasim excellentia, qua Deus, vt summum bonum, vltimisque finis diligendus est, indicata est, vt dixi. Et ideo ipsamet Scriptura declarat, illum amorem in vi præcepti rigorosi solum exigere à nobis aliorum præceptorum obseruantiam. Vt Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et è conuerso: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Et 1. Ioan. 5. dicitur: Hæc est charitas, si mandata eius custodiamus. Ergo præceptum dilectionis non obligat ad consilia seruanda, nec illorum naturam mutat, nec nouam obligationem, aut necessariam illis adiungit, vt fatiis declaratum est.

10. Explicatur quæ ratio non conueniat hoc faciendum sicut damentis hæreticorum.

Ad confirmationem sumptam ex testimoniis Augustini, & D. Thomæ respondeo in primis Augustinum in loco ibi citato, in lib. 1. de doctr. Christi. à ca. 22. nihil aliud intendere, nisi, quòd ex vi præcepti charitatis Dei solus Deus propter se diligendus est, ita vt in illum tota voluntatis intentio feratur vltimate, & reliqua omnia propter ipsum aliquo modo diligantur. Vnde ante verba in argumento citata sic inquit: Hæc regula dilectionis diuinitus constituta est. Diliges proximum tuum, sicut teipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ipsa, qua confers. Vbi videtur illas particulas talis præcepti explicare, non tam ex parte principii diligendi, quàm ex parte obiecti, seu materiæ amoris, vt sic dicam, id est, vt diligere Deum ex toto corde, non sit toto conatu cordis ipsum diligere, sed totum cor illi consecrare, & in ipsum conferre: quod fit, eo ipso, quòd Deus, vt vltimus finis diligitur, & sic de reliquis. Et ita hæc sententia Augustini in nullo discrepat ab his, quæ diximus. Atque eundem planè sensum habent verba superioris citata, quæ statim subiicit, inquit: Cùm dicitur toto corde, tota mente, tota anima, nullam vitam nostram partem relinquere, qua vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re veluti frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur, quo totus diligentis impetus currit. Quæ sententia in se verissima est (quidquid sit de verborum præcepti interpretatione) & per illam solum intenditur, quòd hoc præceptum obligat ad nõ diligendum aliquid, etiam propriam vitam, mentem, vel animam, fruendo illa; & ita in illa sistendo, vt amor non tendat in Deum, saltem virtute, sicut Paulus aliàs monet, Omnia in gloriam Dei facite, vt a-

11. I' finantur confirmatio sumpti à ex Aug.



libi exposuimus. Propter hoc autem non fit, ut omnia opera bona sint in praecepto, & nullum in consilio, quia semper referuntur in Deum aliquo modo; etiam si spontaneè, & sine obligatione praecepti fiant.

12. Soler autem interdum docere Augustinus, tale esse praeceptum charitatis Dei, ut non possit in hac vita perfectè impleri, quasi illo praeceptum summo conatu, & sine vilo omnino defectu Deum semper, ac sine vlla cessatione diligere, quod in hac vita possibile non est, sed in futuram reservatur. Ita sentit August. lib. de spirit. & liter. cap. 36. & lib. de perfect. iust. quem imitatur Bernardus serm. 20. & 50. in Cant. & D. Thom. 2. 2. quaest. 44. art. 6. & quaest. 184. art. 6. Veruntamen quidquid sit de literalis sensu praecepti, ad quem fortasse illa subtilitas Augustini necessaria non est; in ipsa sententia, & doctrina nihil Aug. ab his, quae diximus, discrepat. Quia in eisdem locis docent isti Patres, posse in hac vita hoc praeceptum ita impleri, ut nullum peccatum, nulla ve prauaricatio contra illum committatur; etiam si non pro singulis temporibus diligatur actu Deus, vel licet non semper propter illum operemur, quantum possumus. Vnde fatentur, quod est per se euidentissimum, nihil nos peccare nunc non amando Deum illo modo, & perfectione, quo Beati ipsum diligunt. Sic enim dixit August. lib. de spirit. & lit. cap. 36. Neque enim, si esse nondum possit tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenè perfecta videtur (vtique visionis Dei) iam culpa deputandus est. Idemque habet D. Thomas d. quaest. 184. art. 3. ad 2. Et nihilominus dicunt, non excludi illam perfectionem patriae ab hoc praecepto, sed in illo contineri, non quidem tanquam materiam eius, sed vt finem, vt rectè exposuit Caietanus, ac subinde ex vi huius praecepti debere nos habere in intentione, & affectu illam perfectionem amoris patriae, quia ita debemus hic amare Deum, quantum hic possumus, vt in affectu, & spe habeamus perfectissimum amorem patriae. Quae doctrina in se vera est, quidquid sit de necessitate eius ad explicandum praeceptum, quod alibi tractandum est. Et ex illa etiam nihil sequitur contra doctrinam datam de consiliis, nec contra libertatem operandi aliquando id, quod minus perfectum est, absque peccato; quia sic operando non desistimus ab illa intentione, & affectu diligendi Deum summa perfectione patriae, quia executionem eius non hic, sed in beatitudine consequimur, aut possumus.

12. Si praecepti charitatis intentione habere non possit, sed in affectu, & spe perfectissimum amorem patriae.

13. Aliud verò testimonium D. Thomae in illa confirmatione obiectum nouam difficultatem à nobis postulat: sequitur enim ex dictis posse in materia charitatis dari specialia consilia; consequens non videtur admittendum; ergo. Minor probatur, quia D. Thomas supra illud negare videtur, quia est contra illam formam praecepti, ex toto corde, &c. Quia, qui totum dicit, omnia includit; ita vt nihil ei addi possit; & ideo omnem perfectionem comprehendit. Nam, vt Aristoteles dixit 2. Physic. Perfectum est, cui nihil deest; ergo nihil consulendum in tali materia relinquit. Confirmat, quia in praecepto charitatis nulla cadit mensura; ergo in sua mensura nihil consulendum relinquit. Antecedens patet, quia mensura non adhibetur in fine, sed in mediis, charitas autem est finis; nam Deum respicit proximè, vt vltimum finem; ergo non habet certam mensuram, cui per consilium aliquid addi possit.

14. Nihilominus tamen sequela in obiectione facta probatur, quia praeceptum illud non obligat ad semper diligendum; ergo frequentius diligere actu Deum, erit sub consilio. Antecedens suppono tanquam certum, sequiturque ex illo fidei principio,

14. Soluatur ratio facta

quod praeceptum Dei non obligat ad rem simpliciter impossibilem; de quo videri possunt adnotata in lib. 1. de Legib. cap. 9. à num. 15. & quae latius tractat Bellarm. lib. 4. de Iustif. ca. 11. & sequentibus. Semper autem, ac continuè, & sine intermissione Deum actu diligere in hac vita homini est impossibile; non solum tempore somni, sed etiam in tempore vigiliae, propter necessariam attentionem, & distractionem mentis ad cogitationes alias, & curas humanas, sine quibus hac vita transigi non potest. Et quamuis per miraculosam, & extraordinariam gratiam, possit Deus hoc donum, vel potestatem homini conferre, praeceptum tamen dilectionis Dei non supponit hoc donum, vt est per se notum; & ideo ad talem continuationem in hac vita obligare non potest. Retinet ergo naturam praecepti affirmatiui, quae est non obligare pro semper. Hinc ergo euidentis fit illatio: nam, si tempore, pro quibus praeceptum illud obligat, per ipsum essent determinata, extra illa elicere actum charitatis Dei, sub consilio esset; quia verò non determinat certa tempora, ideo non obligat, nisi iuxta occasiones occurrentes prudenti arbitrio determinandas, vt necessarias; ergo extra illas exercere illos actus, ad consilium pertinet. Idem argumentum fieri potest de intentione dilectionis Dei, quia non cadit sub illud praeceptum, vt dilectio sit summè intensa. Imò nec certam intentionem ex obligatione requirit. Vt de contritione dixi, tractando de Pœnitentia; & de charitate tergi in materia Gratiae: & si Deus conceperit, in propria materia iterum dicam; ideoque feruentissimos actus dilectionis Dei exercere, ad consilium pertinet.

15. Simile argumentum sumitur exactibus imperatis à charitate. Nam, potest quis ex immediato imperio charitatis renunciare saeculo, & temporalia bona relinquere, &c. qui actus externi sunt in consilio; ergo actus etiam interni, quibus imperantur, tantum erunt in consilio: at illi actus sunt elicitè à charitate, licet sint proxime imperantes dictos externos actus; ergo proprii actus charitatis Dei saepe cadunt sub consilio. idemque procedit, etiam si charitas non immediate moueat ad externum actum, sed mediante alia virtute, cui imperat, seu eius actum refert in honorem Dei. Nam licet omnia facere in gloriam Dei, vt Paulus monet. Corinth. 10. secundam quandam modum possit esse in praecepto, id est, secundum relationem virtutalem, vel a primumalem, & quasi intrinsecam, & essentialiam actui: nihilominus, quòd in omnibus bonis operibus id faciamus per formalem actum charitatis, non est praeceptum, sed consilium: vt in lib. 2. de Legib. cap. 11. dixi. & latius in materia de Gratia lib. 1. & in tractat. de Fide. Et sumitur ex eodem D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10. dicente, hunc modum operandi morale virtutem, referendo illam per actum charitatis formalem in Deum, non cadere sub praeceptum, quod pro semper obliget, sed tantum pro eo tempore, pro quo dilectio Dei obligat, ac proinde reliquis temporibus esse tantum sub consilio. Præterea, quod diximus de charitate erga Deum, locum etiam habet in dilectione proximi, quia raro ex praecepto obligamur ad actus internae dilectionis circa proximum exercendos, quos tamè interdum exercere optimum consilium est, & quo fuerint intensiores, eo magis consulatur, cæteris partibus. Item ex parte obiecti possunt consilia magnae perfectionis inueniri. Sic enim in materia diligendi inimicos multa sunt de consilio, etiam si amor illorum absolutè sit de praecepto. Et se exponere magnis laboribus, & periculis propter salutem proximorū, ordinariè opus consilii ad charitatè pertinentis est; quandò

15. Confirmatur solutio.

quando nec charitas, nec iustitia in rigore obligant. Denique idem habet locum in amore charitatis erga seipsum, ut ex dictis est per se clarum.

Ad difficultatem ergo respondeo concedendo sequela; verbaque illa D. Thomæ sano modo esse interpretanda. Nam cum ipse fateatur, modum charitatis non semper cadere sub præceptum, non potuit absolute negare cadere sub consilium, cum modus ille maioris perfectionis sit, quam illud solum, quod proprie, & in materia legis præcipitur; ergo etiam in præcepto charitatis aliquid, quod est plus, sub consilio remanet. Sicut ergo D. Thomas cum Augustino dixit, summam perfectionem dilectionis Dei etiam illam, quæ in hac vita haberi non potest, non excludi ab hoc præcepto, utique, quia per modum finis, non ut materia eius, in eo continetur, vel potius indicatur; ita dixit: *Id, quod est plus, non cadere sub consilium*, utique comparatione facta ad perfectionem amoris contentam in præcepto per modum finis. Nam sic quælibet minor perfectio, licet excedat rigorosam obligationem præcepti, multo magis continetur in illo per modum finis. Quia verò id, quod est finis respectu vniuersi, potest esse medium respectu alterius (ut recte ibidem Caietanus notauit) ideo illud etiam plus, seu illa maior perfectio amoris huius vitæ potest esse medium ad consummatam perfectionem patriæ; & ut sic potest esse medium non necessarium, sed vtile, ac subinde non sub præcepto, sed sub consilio.

Nec contra hoc procedunt rationes in obiectione adductæ. Ad primam enim responderetur, ex forma præcepti in rigore nihil posse colligi: quia (ut dixi) per illam particulam *ex toto*, non quælibet totalitas, ut sic dicam, nec summa perfectio amoris significatur, aut præcipitur, sed illa, quæ consistit in perfecta tendentia ad Deum, vel vltimum finem, per amorem, quo & ipse super omnia, & alia propter ipsum diligantur. Ultra hanc autem perfectionem, seu totalitatem, aliquid plus in ipsomet amore dari potest, quod sub consilio cadat, ut explicatum est. Admittendo autem, sub illa particula, *ex toto*, comprehenditur summam perfectionem possibilem homini saltem in patria, cum illa non comprehendatur, ut materia præcepti, sed ut finis præcepti, non excluditur, quin aliqua maior perfectio, quam præcepta, ut materia, & minor quam sperata, & proposita, ut finis, possit esse sub consilio, tanquam apertius medium ad illam consummatam perfectionem obtinendam.

Ad secundam rationem, seu confirmationem, quod finis non cadit sub mensuram, responderetur, aeternam charitatis patriæ, licet sit finis præceptorum, & in illo non adhibeatur mensura, seu limitatio, quoad exercitium, & feruorem eius (iuxta illud Bernardi, *Modus d. legendi est sine modo diligere*.) nihilominus quoad obligationem aliquam mensuram, seu determinationem recipere; quia charitatis actus, ut in via præcipitur, est medium ad perfectionem charitatis patriæ acquiritandam; & ideo necessario dicendum est, in illo, ut sic, dari certam mensuram, vltra quam potest aliquid plus sub consilio esse, ut factis explicatum est.

Ad tertium fundamentum principale pro hæreticis propositum ex ratione sumptum, negamus minorem, asserimusque, etiam respectu Dei posse dari opera supererogationis, id est, quæ superent id, quod mandatum est. Quod his verbis expresse dixit Chrysost. hom. 8. de Pœnit. *Nequaquam Dominus inuinciles, haud mandata impossibilia, multi & ipsa superant mandata; ergo si impossibilia fuissent, minus sua sponte superassent.* Et Hieron. lib. 1. contra Iovinianum: *Christus, ait, ideo plus amat virgines, quia sponte tribuunt.* Fr. Suarez. de statu relig. tom. 3.

quod sibi non fuerat imperatum, maiorisque gratia est offerre, quod non debeat, quam reddere, quod exigitur. Ergo possunt virgines supra id quod debent, aliquid offerre, seu erogare. Vnde August. lib. de sanct. virgin. cap. 30. *Si aliquid amplius, utique vltra debitum, supererogaueritis, in redeundo, reddet vobis.* Et serm. 18. de verbis Apost. de virginibus ait: *Amando te, plus facimus, quam præcipi.* Imò ipsemet Dominus satis clarè hoc docuit Matth. 19. Nam cum dixisset, *serua mandata;* & adolescens dixisset, hæc omnia seruauit, replicauit Christus esse aliquid, quod vltra mandata ad perfectionem assequendam fieri posset, videlicet vendere omnes facultates, & sequi ipsum, quod rectè notauit August. epistol. 89. ad Hilarium. *Nec aliud docuit idem Dominus in alio loco Luc. 17. cum dixit, Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inuit. les sumus.* Quia non dixit, nihil amplius facere potestis, quod bonitatem aliquam præceptis addat, sed monuit, ut nihilominus se ut seruos inuitiles recognoscerent: vel quia non tam suis viribus, quam gratia Dei præcepta impleant, vel quia vilitas illius obedientiæ in ipsos redundat, nõ in Deum: Et ita dicunt multi Patres, per illa verba præcepisse Christum humilitatem, & animi submissionem: ex quo non sequitur, ut opera supererogationis negauerit.

Imò addendum est, iuxta alium valde probabilem sensum supra insinuat, quemque Maldonatus doctè prosequitur, ibi Christum docere voluisse, debere nos aliquid vltra præceptorum exigentiam in obsequium Dei sponte facere, ut cumulationem gratiam, & remunerationem à Deo consequamur. Sic enim vocat seruos inuitiles, qui solùm ea faciunt, quæ præcepta sunt, ut declarat subiuncta ratio, *Quia debuimus f. cere, fecimus;* id est, sola illa. Tales autem serui dicuntur inuitiles, non quia non fecerint, & quasi soluerint quæ debebant, sed quia nihil sua sponte in gratuitum amorem sui Domini perfecerunt. Et ideo non concludit Christus, nunquid reddet ei condignum stipendium, seu statutam mercedem; sed *nunquid habebit gratiam seruo illi, qui fecit, quod illi imperauerat?* id est, nunquid vltra stipendium debitum reddet ei, qui solum illud, quod tenebatur, fecit; & sic respondet, *non profecto.* Docens, debere nos liberalius cum Deo agere, si volumus eum erga nos largiorem etiam experiri. Ergo supponit nos ex diuino amore posse multa facere, vltra ea, quæ præcepta nobis sunt.

Ad rationem autem, qua hoc impugnatur, quia plus Deo debemus, quam illi rependere possimus; respondendum est, duplex esse debitum, aliud ex voluntaria, & congruente gratitudine, aliud ex proprio debito obedientiæ, seu necessitate, quæ rigorosum præceptum imponit. De priori debito vera est illius rationis assumptio, sed ex illa nihil concluditur; quia illudmet gratitudinis genus non semper cadit sub præceptum, & ita sub consilio relinquitur. Si autem antecedens illud de secundo genere debiti intelligatur, falsum est; quia (ut diximus) licet potuisset Deus multa vel omnia, quæ illi ex gratitudine debemus, rigoroso præcepto à nobis exigere; non tamen fecit, nec id fuisset consentaneum prouidentia suæ, ut explicatum est. Igitur ex eo, quod quidquid boni habemus, à Deo accepimus; in rigore præcepti solum ad sequentia tenemur. In primis, ut hoc ipsum recognoscamus, & humiliter fateamur, & quod debitis temporibus pro acceptis beneficiis gratias agamus. Deinde, ut quidquid boni facimus, in ipsum, tanquam in vltimum finem, in eiusque gloriam aliquo modo referamus. Denique, ut in nulla te illum offendamus. At verò gratitudo ad Deum non obligat nos in rigore præcepti, ut virginitatem

Explicatur
per verba
Lucæ 17.

20.
Alius sensus
est eorum
dem verborum.

21.
Quæ ratio
ne plus Deo
debemus
quam illi
rependere
possimus.

nitatem seruemus, vel paupertatem sectemur, vel alia bona opera non praecepta faciamus: quanuis, si illa ex gratitudine ad Deum facere velimus, optimè id facere possimus; quia nunquam debitum illud exhaurire, aut ei adaequate satisfacere valeamus: tunc verò etiam in ratione gratitudinis opus consilii faciemus, non praecepti.

22. In prima confirmatione illius tertiae rationis petitur, an consilium aliquam obligationem, licet leuiorem, inducat. Aliqui enim Scholastici ita sentire videntur; illi nimirum, qui in hoc peccatum veniale à mortali distinguunt, quòd mortale est contra praeceptum, veniale verò contra consilium: vt sunt Scot. in 2. dist. 21. quæst. 1. & Gabr. dist. 22. quæst. 1. art. 3. & in 4. d. 16. quæst. 5. art. 1. not. 1. & fauet D. Thom. 1. 2. quæst. 88. art. 1. ad r. quatenus ait veniale peccatum non esse contra praeceptum; quod etiam Alensis sentit 2. p. quæst. 106. memb. 5. vers. *Contra quintam.* ad 3. & Bonauent. in 4. dist. 42. art. 1. q. 1. Inde enim sequi videtur, peccatum veniale esse contra consilium; quia inter praeceptum, & consilium non est medium; ergo si peccatum veniale non est contra praeceptum, erit contra consilium.

23. Vnde alii (vt refert Vega lib. 11. in Trid. c. 2.) dixerunt, consilia esse praecepta minima, de quibus dixit Christus Matth. 5. *Qui soluerit vnum de mandatis istius minimis, minimus vocabitur in regno caelorum.* Ex quibus omnibus consequenter inferitur, consilium aliquo modo obligare ad sui obseruationem, saltem sub culpa veniali. Iuxta hanc ergo sententiam respondebitur ad illam confirmationem; dissentire à diuina voluntate in his, quæ consilii sunt, aliqualem culpam esse, venialem tamen: & in hoc distingui consilium à praecepto. Potestque hoc suaderi, quia velle agere contra consilium, vt v.g. velle non esse religiosum, non est bonum; ergo est malum: ergo signum est, consilium aliquam obligationem inducere. Sicut etiam in religioso velle agere contra vnam regulam, quæ in vi praecepti imposita non est, non caret aliqua culpa, licet talis regula tantum vim consilii habere possit.

24. Nihilominus dicendum est, consilium purum, & quæ tale est, nullam obligationem inducere, nec etiam sub veniali. Ita docuit Vega supra, & lib. 14. c. 12. vbi reprobatur modum illum distinguendi peccatum veniale à mortali. & consentiunt omnes moderni Theologi 1. 2. q. 88. Hocque mihi certum videtur, & clare doceri à Patribus præcedenti capite allegatis; dicunt enim opera consiliorum esse mere spontanea, & libera; & planè sine vlla culpa posse dimitti. Imò videtur clare id docere Paulus 1. Cor. 7. dicens: *Si nupsit virgo, non peccauit; si acceperis vxor, non peccasti; qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, etiam si contra consilium agat: nemo autem de eo, qui mentitur, dicere poterit, bene facit, aut non peccat.* Eademque ratio est de cæteris consiliis. Et ideo in Scriptura non reprehenduntur, qui consilia non sequuntur; solent autem, qui mentiuntur, & qui verba otiosa dicunt, aliæ peccata venialia committunt, reprehendi.

25. Ratio autem à priori intelligitur, respondendo ad primam illam confirmationem. Consilium enim Dei externum, seu nobis propositum immediate solum indicat dictamen diuini intellectus iudicantis, & approbantis id, quod consulit, tanquam vtilius, & conuenientius ad vitam beatam facilius, & perfectius consequendam. Nam consilium proprie ad intellectum pertinet, & interior est actus eius; exterius verò illum actum internum immediate indicat. Vt v.g. cum Christus dixit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, abi, & vende,* &c. proxime significauit nobis, quid de illo medio necessario ad salutem sentiret. Vnde discre-

pare ab illo per intellectum, existimando illud medium non esse vtilius, ac melius, magna esset ratio iniuriæ, quam illi irrogaret, qui perperam de illis consilii sentiret. At verò non velle sequi, & exequi consilium illud, non quia non existimatur optimè, sed quia voluntas propter alias rationes in illud obiectum non inclinatur, nulla est, nec minima ipsius Christi offensio; quia per hoc nullo modo improbat, nec refutatur consilium eius.

Vterius verò fatemur, Dei consilium etiam esse signum alicuius voluntatis eius, sed quia non est talis voluntas, quæ obligationem inducat, ideo consilium ad nullam culpam obligare. Declaratur, quia in Deo multiplex est voluntas; vna est propria, & formalis; alia dici potest metaphorica; & multi putant consilium solum esse metaphoricam voluntatem, id est, signum ipsium. Iuxta quam sententiam facile respondebitur, Deum consulendo ita quidem se gerere, ac si vellet, vt homo tale consilium exequatur, re tamen vera Deum id sapere, & generaliter non velle; ideoque consilium non indicare in Deo aliquam voluntatem, ratione cuius obligationem inducat. At verius fortasse est, consilium indicare aliquam propriam voluntatem Dei; hæc autem duplex esse potest in Deo; vna est absoluta, & efficax, quam explicamus per verbum *præfero*; vna est secundum quid, vel per simplicem affectum, quam explicamus per verbum *vellem*, aut per modum desiderii. Consilium ergo de se non indicat in Deo efficacem voluntatem, sed ad summum simplicem affectum, & complacentiam in tali meliori bono, quæ voluntas de se ad inducendam obligationem non sufficit. Imò vterius voluntas efficax ex parte obiecti proximi subdistingueda est. Nam quædam est tantum de executione, alia tantum de obligatione imponenda. Et prior nec ad obligationem sufficit, nec necessaria est. Nam licet Deus voluerit efficaciter me esse religiosum, non me ad id obligauit; & licet de se non habuerit voluntatem efficacem, vt Petrus v.g. confiteretur Christum; nihilominus illum ad talem confessionem obligauit, quia de ipsa obligatione imponenda efficacem habuit voluntatem, & hæc est necessaria ad obligationem. Quia ergo consilium talem voluntatem non indicat, sed potius eo ipso, quòd tantum per modum consilii datur, indicat in Deo non esse talem voluntatem, ideo nullam obligationem inducit. Et hoc modo ponderauit Chryostomus, & alii Patres verba Christi. *Si vis perfectus esse, &c.*

26. Consilium non metaphoricam, sed propriam voluntatem Dei indicat, licet inefficacem.

27. Vnde ad Scotum, & Gabrielem respondemus, vel refutandam esse illorum sententiam; vel certe ipsos abusos esse nomine consilii, cum omnia illa media, quæ non sunt simpliciter necessaria ad vitam æternam consequendam, dicunt esse sub consilio. Sic enim vitare peccatum veniale dicunt esse sub consilio, hoc autem improprie, & præter commune vsus dictum est. Et præterea permisso illo modo loquendi, negare non possunt, esse aliqua consilia, quæ nec illo modo inducunt obligationem, seu esse aliqua media vtilia ad vitam æternam, quæ omittere nulla sit culpa. Ideo quæ licet dicantur peccatum veniale esse contra consilium; non tamen è contrario dicet, quid quid contra consilium fit esse peccatum veniale; hoc enim erroneum profectò esset. Oportebit ergo, vt duo genera consiliorum distinguant, vnum, cuius transgressio est peccatum veniale, aliud, cuius ommissio sine peccato villo omitti potest. At nos hoc tantum posterius censemus esse proprium consilium, & de illo loqui Paulum, & sanctos Patres, cum de consiliis Euangelicis loquuntur: illud autem prius magis habere de prohibitione, aut de præcepto, quàm de consilio. Quod ita explicatur, quia licet peccatum veniale non auferat ius ad vitam æternam, &

Virum consilium aliquam obligationem licet leuiorem inducat.

Videri peccatum veniale agere contra consilium.

Consilium ex se nullam omnino obligationem inducit.

Ratio à priori cur frangere consilium non sit peccatum.

Consilium non metaphoricam, sed propriam voluntatem Dei indicat, licet inefficacem.

Quæ vtilia ad vitam æternam inducunt obligationem, nec necessaria sunt ad obligationem.

Explicitur Scoti & Gabrielem sententia.

Peccatum veniale non auferat ius ad vitam æternam.

ca ratione dicatur, euitare illud non esse medium necessarium, sed vtilius ad salutem; nihilominus ita impedit consecutionem salutis, vt nisi euitetur, vel postquam commissum est, plenè remittatur, ne- mo cum illo intrabit in regnum caelorum; & sub hac ratione carentia peccati venialis potest dici necessaria ad salutem, quoniam necessarium non fit, vt in hac vita obtineatur: nam potest in futura comparari. At transgressio consilij nullo modo impedit beatitudinem, nec aliqua eius remissio necessaria est.

Ad D. Thomam vero, & alios respondemus, ipsos non dicere veniale peccatum esse contra consilium; nec negare, quin derogat alicui praecepto, vel sit contra aliquam prohibitionem; sed quia illa est leuis, nolunt simpliciter vocare praeceptum, quod pertinet magis ad modum loquendi, quam ad rem. de quo alibi ex professo dicendum est, nam ad hunc locum non spectat. Ad probationem vero illam, quod velle non seruare consilium, est malum; respondeo posse argumentum retorqueri ex citatis verbis Pauli; quia si velle nubere non est malum, cur non velle virginitatem seruare, non est malum. Fa- teor tamen talem actum ex solo obiecto bonum non esse, sed attendendum esse finem, seu motiuium talis voluntatis. Erta etiam quando velle nubere dicitur esse bonum, intelligitur, si debito modo fiat, id est, si quis id velit propter filiorum procreatio- nem, vel in remedium concupiscentiae, &c. Idemque est cum proportione de volitione agendi aliquid contra regulam non obligantem ad vilam culpam, vt latius infra in proprio loco dicemus. De vltima confirmatione videri possunt, quae dixi lib. 1. de Legib. c. 14. n. 9. & 10. vbi explicauit, quomodo consilia Evangelica ad legem Christi pertinere dicantur; non vt sub praeceptis contenta, sed vt illis veluti ex plena legislatoris prouidentia adiuncta, & per ipsum approbata, confirmata, & promulgata; & ex ibi dictis, quae hic tradita sunt confirmari possunt.

CAPVT X.

Statum perfectionis non praeceptorum tantum, sed etiam consiliorum obseruantiam inclu- dere.

Hæc est conclusio in omnibus his, quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt, intenta. Ad cuius explanationem, & probationem supponenda in primis est distinctio in superioribus data; inter statum perfectionis, & ipsam charitatis perfectio- nem: nam charitatis perfectio est finis huiusmodi status; ipse vero status potissimè constat ex medijs ad illum finem consequendum, & hoc modo dicitur non tantum praecepta, sed etiam consilia complecti. Vt autem hoc magis declaretur, supponenda est communis distinctio de duplici perfectione cha- ritatis, seu Christianæ vitæ: vna perfectio dicitur es- sentialis, alia superaddita essentiali, ac subinde ac- cidentalis; vel vna simpliciter necessaria ad iusti- tiam, & vitam spiritualem animæ, alia vtilis, seu ad melius esse. De priori loquitur Christus, cum ad om- nes dicit, *Estote perfecti*, Matth. 5. De posteriori ve- ro dicit ad quemdam; *si vis perfectus esse*, Matthæi 19. De priori etiam intelligitur optimè Paulus ad Phi- lip. 3. cum non de se solum, sed etiam de alijs dicit; *Quicumque perfecti sumus*, De posteriori intelligi potest idem Apostolus eodem c. 3. ad Phil. de se di- cens, *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim*. Nam hæc potest hoc intelligi de perfectione patriæ; vt exponit August. serm. 15. de verbis Apost. cap. 13. tamen etiam, & fortasse melius intelligitur de per- fectione viæ abundantiori. Negat autem Paulus se illam habere; non quia iam non esset in altissimo

perfectionis gradu, sed quia nondum acceperat to- tam perfectionem, quam in hac vita consequi poterat, & sperabat.

In præsentibus ergo, cum de perfectione vitæ Chri- stianæ agimus, non de sola essentiali perfectione, sed de cumulatiore loquimur: nam respectu illius, communem statum perfectionis eiusdem vitæ di- stinximus. Prior enim perfectio essentialis præcisè sumpta, pertinet ad communem statum Christiano- rum; quia licet non omnes in tali statu existentes il- lam perfectionem habeant, quia multi non iuxta debitum illius status operantur; & ita spiritualiter non viuunt; nihilominus omnes sunt in statu, in quo illam perfectionem intendere, ac procurare tenentur, & habent sufficientissima mediâ, per qua illam consequantur.

Hinc ergo in primis concludimus, Christianam perfectionem sine obseruatione consiliorum, præ- ter præcepta non acquiri. Assertio est certa, & com- munis, eamque tradit D. Thomas d. q. 184. a. 3. & su- mitur ex verbis Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, & vende omnia, quæ habes, & veni sequere me*. Vbi obseruationem, & executionem consilij paupertatis ad perfectionem assequendam proponit, vt me- dium, seu viam necessariam. Et simili modo Paulus consulit virginitatem, dicens, 1. Cor. 7. *Volo vos sine sollicitudine esse. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu*. Et infra: *Porro hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis ini- ciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præ- beat sine impedimento Dominum obsecrandi*. Et inferius de non nubente ait; *Melius facit, & Beatior eris*. Eadem- que ratio est de consilio obedientiæ, & de alijs pro- portione seruata. Ratio autem est, quia perfectio Christiana requirit praeceptorum obseruationem, si- ne qua nemo saluari potest: & vterius aliquid per- fectionis addit vltra id, quod simpliciter neces- sarium est ad salutem; ergo maximè addit consiliorum obseruationem. Tota ratio est fundata in allegatis Christi verbis Matth. 19. Nam prius dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, vbi exigit ea, quæ ad sa- lutem sunt simpliciter necessaria; & postea addit: *Si vis perfectus esse*; ergo aperte docet, perfectionem aliquid addere supra id, quod est necessarium ad sa- lutem, quod in antecedenti supposuimus. Conse- quentiam verò indicat Dominus, dum inde subin- fert, per consilij cuiusdam obseruantiam perfectio- nem esse obtinendam.

Potestque hoc confirmari ex verbis Christi Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite ser- uum inuiles sumus*; iuxta probabilem eorum expositio- nem in superioribus datam. Eum enim seruum, qui ea tantum facit, quæ præcepta sunt, inuilem vocat, non quia non suo muneri satis fecerit, & suum stipen- dium mereatur, sed quia nullam peculiarem bene- uolentiam erga Dominum ostendit, nec ampliori gratia, aut beneficio dignus est. Sic ergo in diuino obsequio ad charitatis excellentiam aliquid consilij, vltra id, quod præceptum est agere oportet. Dices, ergo non potest quis esse perfectus, sine virginitatis, aut paupertatis obseruantia, vel alia simili. Respon- detur negando consequentiam; quia cum dicimus, perfectionem charitatis non acquiri sine obseruan- tia consiliorum, non restitimus sermonem ad illa tria principalia consilia, sed in vniuersum loquimur de consilijs, includendo etiam omnem modum meliorem seruandi præcepta, quàm præceptum in rigore requirit: & sic est euidentior assertio; quia nisi quis aliquid boni non præcepti faciat, vel saltem meliori modo, quàm præceptum est faciat, non poterit aliquam perfectionem charitatis, præ- ter essentialem, obtinere: nec aliquid operatur,